



Die 15 Junii

Missa in festo Sancti Viti Martyris,

patroni principalis civitatis Gladbaci Monacensis

Duplex I classis

Introitus Ps. 63, 11

LÆTABITUR justus in Domino,
et sperabit in eo: et laudabun-
tur omnes recti corde.

Ps. 63, 2 Exaudi, Deus, oratio-
nem meam, cum deprecor: a timo-
re inimici eripe animam meam.

℣. Gloria Patri.

Oratio

Da Ecclesiæ tuæ, quæsumus,
Domine, sancto Martyre tuo
Vito intercedente, superbe non
sapere, sed tibi placita humilitate
proficere: ut, prava despiciens,
quæcumque recta sunt, libera ex-
erceat caritate. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati
Pauli Apostoli ad Timotheum
2 Tim. 2, 8-10; 3, 10-12

Carissime: Memor esto, Domi-
num Jesum Christum resurre-
xisse a mortuis ex semine David,
secundum Evangelium meum, in

quo laboro usque ad vincula, qua-
si male operans: sed verbum Dei
non est alligatum. Ideo omnia su-
stineo propter electos, ut et ipsi
salutem consequantur, quæ est in
Christo Jesu, cum gloria cælesti.
Tu autem assecutus es meam doc-
trinam, institutionem, propositum,
fidem, longanimitatem, dilectio-
nem, patientiam, persecutiones,
passiones: qualia mihi facta sunt
Antiochiæ, Iconii et Lystris: qua-
les persecutiones sustinui, et ex
omnibus eripuit me Dominus. Et
omnes, qui pie volunt vivere in
Christo Jesu, persecutionem pa-
tientur.

Graduale Ps. 36, 24 et 26

Justus cum ceciderit, non collide-
tur: quia Dominus supponit ma-
num suam.

℣. Tota die miseretur, et com-
modat: et semen ejus in benedic-
tione erit.

Missa in festo Sancti Viti Martyris

Alleluja, alleluja.

V. Joann. 8, 12 Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ æternæ. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam
Luc. 10, 16-20

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici: et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete

autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.

Offertorium Ps. 20, 4-5

Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit a te, et tribuisti ei.

Secreta

Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio: et ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate deferretur. Per Dominum.

Communio Joann. 12, 26

Qui mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Postcommunio

Repleti, Domine, benedictione solemniter: quæsumus; ut, per intercessionem sancti Martyris tui Viti, medicina sacramenti et corporibus nostris prosit et mentibus. Per Dominum nostrum.

Imprimi potest, Aquisgrani, die 30. maii a. 1958

I 2746 - 57. Dr. Müssener, vicarius generalis